



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Diuina res iusiurandum

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

LIBER III.

nefas ipsis iurare propterea, quod ex abundantia rea-
rum in obliuionem dei prolapsi, timorem domini, ue-
ramq; animi seruitutem abiecerint. Id quod ex eo ipsis
constat, quia frequentabat interdicta sacra idolorum
in Gilgal et Bethel: facileq; in mentem reprehensis ue-
nire potuit, tum dignos fore iterum, ut iuxta præce-
ptum domini iurent (uiuit dominus) si quando ex be-
neficijs, amplitudine dei quomodo cunq; cōcepta eius
numen reueriti, soli cōperint supplicare ac fidere.
Quem in modum ijs qui ignominia sepulti erāt, quod
ab adolescentia deo non auscultassent per Hieremiam
dominus promittit reuersis ad se reiecta idolatria fa-
cultatem iurandi, dicens: Si reuerteris Israēl, ad mesi
reuerteris, & si semoueris idola à facie mea, tum non
moueberis: et iurabis, Viuit dominus, in ueritate, in iu-
dicio, & iustitia, Hierem. 4. Hoc ergo loco uides fa-
cultatem iurandi fieri ijs, qui ad dominum sunt con-
uersi, qui dum iurant ad utilitatem proximi, pro rei
ueritate, declarant se dei esse: adeoq; illos ob benedi-
ctionem domini propter legem custoditam (Nam iura-
mentum custodia legis est) prophanis quoq; gentibus
admirationi fore, promittit.

Diuina ergo res est ius iurandum, sacra anchora ad
quam confugitur quum humana sapientia ultra pro-
gredi non potest: quis enim nouit quid sit in homine
nisi solus deus? Hunc ergo prodit qui falso per illum
peicerat.

peierat. Creditur enim per fidem et religionem quam in deum habet uel dixisse, uel seruaturus esse: ille uero per illum fallit. Quid uero commune cum deo habere poterit qui falso iurans, fundamentum dei ueritatem & iustitiam ipsam deo remouet? In usum ergo proximi iusjurandum à domino præceptum est. Cum autem omnis lex et prophetæ de his duobus præceptis pendeant, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et ex omni mente tua: et, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et ipsum iusjurandum, dei quem unice diligis & obseruas contestatio est, inq; proximi commodum datur: quis audebit præter omnem scripturæ autoritatem iusjurandum de populo dei tollere?

Summa linea est diuini cultus sancte iurare cum fiducia in deum, quam sacramenti uerbis abunde declaramus, et impletur à nobis primum præceptum quod dei charitatem præscribit: testamur enim diuini nomis obtestatione deum nobis præcipuo loco esse et magni precij in cordibus nostris, cuius gloriā hac obtestatione unice promotā cupimus, omnibusq; cognitam. Iā si proximi salus poscit ut iurē, ut omnis controvēria et lis inter fratres dirimatur, ut cōcordia et pax cōficiat, ut obediatur magistratui, quis non uidet præceptum de charitate proximi implere? Iureiurādo deus offendī non potest, uocatur enim testis ut si minime no